

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.

DE  
IDVMAEA EIVSQVE VASTATIONE

AD  
LOCVM IER. XLIX. V. 17.  
QVAEDAM DISSERIT  
SIMVLQVE

V I R O  
EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO  
ATQVE  
DOCTISSIMO

CHRISTOPHORO GOTTLOB  
HEINRICH

FRATRI OPTIMO

COLLATAM IPSI ORDINARIAM HISTORIARVM PROFESSIONEM  
IN CELEBERRIMA ACADEMIA IENENSI

GRATVLATVR

M. CHRISTIANVS GOTTFRIED HEINRICH  
ECCLESIAE TIEFENSEENSIS IN EPHORIA ILEBURGENSI  
PASTOR.

---

L I P S I A E

EX OFFICINA KLAYBARTHIA.

DE  
IDYMAEA EIVSOVE VASTATIONE

LOCVM IER XLIX

EXCELENTISSIMO AURELISSIMO

DOCTISSIMO  
CHRISTOPHORO GOTTLOR

HENRICH

FRATRI OPTIMO  
COLLATAE RES ORDINARIAE HISTORICARVM PROFESSIONEM  
IN CAESARIA ACADEMIA LENISI

M. CHRISTIANVS GOTTFRED HENRICH  
PROFESSOR HISTORICARVM ET MORALIVM PRAELECTOR

LEIPZIG  
EX OFFICINA KEYSERLICHAE



V I R O  
EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO  
ATQVE  
DOCTISSIMO  
CHRISTOPHORO GOTTLOB  
HEINRICH  
FRATRI OPTIMO

S. P. D.

A V C T O R,

**P**ost tot tantosque exanilatos labores et varia terra  
marique confecta itinera, excepit TE, FRA-  
TER CARISSIME, vrbs, in qua providentia summi Numi-

nis TIBI habitationes addixit honorificentissimas. Pater iam senex omnesque consanguinei TVI non solum de felici TVO in patriam reditu, verum etiam de aduentu in finitima Thuringia magnopere laetantur. Quin potius ego tanto perfundor gaudio, ut non possim non animi hilaritatem de fortuna TVA TIBI litteris testari, et honores TIBI nuper collatos scriptiuncula qualicunque gratulari. De argumento scribendi non multum cogitavi. Quoniam SERENISSIMI celeberrimae Academiae Ienensis TVTORES professionem historiarum ordinariam clementissime TIBI mandarunt, rei satis aptum et valde comueniens mihi visum est, si argumentum huius dissertatiunculae ex historia peterem. Placuit autem ad dictum Ieremiae, quod in fronte huius libelli positum conspicias, historiae Esauitarum s. Idumaeorum, cum veterum tum recentiorum, non tam descriptionem, quam quoad viribus et limitibus scriptiois par est, delineationem TIBI offerre.

Accipias

Accipias igitur eo, quo soles, animo hocce munusculum, quod, etsi tenue et omni elegantia sit destitutum, tamen quia amoris fraterni tessera est, TIBI ingratum haud esse futurum mihi persuasi. Lubentissime igitur faciam id, quod mihi ipsi tam volupe est. Quid enim animo meo jucundius, quid optatius aut debet esse, aut potest, quam dilectissimum fratrem palam salutare? Quid autem turpius, quam, cum TE multis ornatum honoribus viderem, nihil sentire, non dulcem sensum percipere, non laetari? Certe TIBI FRATER DILECTISSIME, persuasum habeas, me iam dudum in votis habuisse, ut TE praemiis atque honoribus virtute et eleganti TVA doctrina dignis, ornatum conspicerem. Laudes TVAE multae sunt, quas enarrare modestia prohibet. Hoc vero amor exigit fraternus, ut novam TIBI muneris dignitatem gratuler et fausta quaevis appreper. Sit igitur TIBI praesto perpetuo fauore summum Numen, concedat TIBI vitam longam ac valetudinem firmam;

roboret TVAS et animi et corporis vires, TVAMque indies  
augeat felicitatem, muneris autem TVI labores ita fortunet, ut  
ipsius gloria promoueat, Serenissimi TVI Promotores de  
TE gaudeant, collegae laentur et ciues Academiae sibi gratu-  
lentur. Ita vale! et me, uxorem filiosque meos in posterum  
ama! Scripsi in pago Tiefensee prope Dubenann mense Ianuario  
CICIDCCLXXXII.



§. I.

*Instituti ratio.*

**S**cripturae sacrae locum ex historia, deliciis nostris, illustraturi, incidimus in vaticinium Ieremiae de terra Idumaea vastanda Cap. XLIX. 17. his verbis prolatum:

וְהָיָה אֵדוֹם לְשָׂמָה :

Quo quidem in loco tractando ita versabitur opera nostra, vt breui narratione antiquissimae Idumaeorum historiae praemissa, sensum oraculi inquiramus et de illius euentu disputemus.

§. II.

*Historia antiquorum Edomitarum.*

Edomitas siue Idumaeos, quorum interitum vates diuinus loco nostro praedixit, nomen atque originem habere ab Esauo, Isaaci et Rebeckae filio, *Edom* cognominato, <sup>a)</sup> inter omnes omnino constat. Iacobus, filius Isaaci natu minor, cum minis fratris perterritus ad Labanem auunculum in Mesopotamiam se contulisset, ibidemque annos viginti fuisset moratus Esauus cum suis ex Canaan in terram Seir migravit, b) quam montosam regionem Horraei tum temporis incolebant.

a) Genes. XXXVI. 9. 43. coll. C. XXXV. 25. 30.

b) Genes. XXXII. 3. coll. Cap. XXXVI. 6. 7. mons *Seir* nomen habet de nomine *Seir* Horraei, qui ante Edomum illic habitauit. Genes. XXXVI. 20. Deutr. II. 12. non ab Esauo piloso שַׁעִיר vti IOSEPHVS

Vid. RELANDI Palaest. Illustr. T. I. L. I. C. XI. p. 66. edit. Traiect. Mons *Seir* siue *Hor*, secundum Ariam Montanum non longe a Salis mari distat; ab occasu Cades despicit, a dextra vero Arabiam et maris Suph litrus prospicit. Vid. BEN. ARIAE MONTANI Chanaan C. V. in A. I. L. C. XIX. perperam putat. CRITT. ANGL. T. VIII. p. 588

bant. c) Hi vero antiqui incolae ab Esau postferis partim subacti partim expulsi sunt d) indeque ab hoc tempore et gens et terra *Edom* est vocata. Horræis igitur sub iugum missis Edomitæ sub regimine ducum, qui Mosi אֱלֹרֵי מֶֿ) audiunt, in terra Seir vixerunt. Aucto deinde populo reges orti sunt, quorum ad Mosen vsque octo regnarunt. f) Israelitis

c) Genes XXXVI, 20.

d) Deutr. II, 12.

e) Genes XXXVI, 49.

f) Genes XXXVI, 31 - 39. Hic ipse locus, in quo series ducum et regum Idumææ nobis sistitur, vehementer exercuit interpretes. Sunt, qui statuunt, totam hanc pericopam non a Mose, sed ab alio, et qui a Mose multis post sæculis vixerit, scriptam fuisse, seriemque Idumæorum a Mose vsque ad Saulis regis tempora nobis hic exhiberi. Prouocant ad v. 31. Cap. XXXVI. Genes. vbi verba sunt: ואלר המלכים אשר מלכו במדבר ארם לפני מלך-מלך לבנך בארץ ארם לפני מלך-מלך ישראל: *et bi fuerunt reges qui regnarunt in terra Edom, antequam regnauerit rex Israelitis.* At enim vero neque Mosi temporibus, neque diu post Mosen Israelitæ regem habuerunt, a recentiori igitur manu hæc addita volunt. Quam opinionem SPINOZA in Tractat. theologicopolitico p. 108. RICH. SIMON in Hist. Crit. dū V. T. liv. I. Chap. V. p. 32. 108. CLERICVS in Proleg. ad Pentat. diff. III. §. 3. n. 9. et SAM. SHVRFORD in Harm. Vol. II. L. VII. p. 123. seqq. strenue defenderunt. CARPZOVIVS in Introduct. ad Libb. V. T. P. I. C. IV. §. 2. p. 58.

seq. verba illa, quæ Genes. XXXVI, 21. leguntur, per modum prophetiæ scripta coniicit. Sed ablit! vt ita respondeamus et orationem plane historicam pro vaticinio habeamus; tali enim modo veritas contra aliter sentientes minus bene defendi mihi videtur. Quid igitur? Etiam si concedamus locum illum de octo regibus a manu recentiori additum esse, in hoc nihil est periculi, si modo, assumamus, esse a manu viri Θεωροῦτοςου. Interdum enim scripturis sacris addita quaedam deprehendi, quæ a recentiori manu sint profecta, nemo artis criticæ peritus dubitat, v. c. ea, quæ in fine Deuteronomii de morte ac sepultura Mosi leguntur, et alia passim, cui opinioni etiam b. nofter LUTHERVS in Comment in Genes. ad Cap. XXXVI. assentitur. Verum enim vero eruditi laudati additionem de regibus Idumæorum defendunt, vt suam muniant opinionem, octo illos reges post Mosen regnasse vsque ad Saulis tempora. Sed hæc opinio verbis Mosiacis plane est contraria. Scriptor enim diuinus non dicit: ער-מלך מלך, *donec regnaret rex Israelitis*, sed לפני מלך מלך, *antequam regnaret* etc. Equidem probe noui, nunquam fieri potuisse, vt ab Esau

tis a Mose ex Aegypto eductis, Deus interdixit, ne Edomitas, fratres suos, vlllo modo, offenderent. 5) Itaque Moses ad Idumaeae fines cum omnibus copiis perueniens, ad Edomitarum regem legatos mittit, viam sibi publicam concedi amicissime rogans, simulque fidem dans, sine cuiusquam iniuria

excessu ex Canaan vsque ad Mosi tempora Idumaea XIV. duces, deinde VIII. reges, tum vero rursus XI. duces, se omnes vna serie excipientes, habuerit. Sed salua res est. Reges illi profecto ante Mosi regnarunt, id quod ex tota narrationis Mosaicae serie clarissime patet. Duces vero ante reges relati, non magni fuerunt principes, sed familiarum patriarchae, qui non successiue sed simultanee regnarunt, scilicet eodem tempore suis singuli familiis praefuerunt. Agedum totum Mosaicae narrationis ordinem perlustremus. Integrum caput XXXVI. Genes. septem absoluitur partibus. 1) Vxorum Esau trium cum filiis mentio fit, v. 1 - 5. 2) sequitur migratio Esau cum suis in terram Seir v. 6 - 8. 3) adduntur nepotes Esau in terra Edom nati, v. 9 - 14. inde 4) duces Esauitarum, v. 15 - 19. qui Mosi אלוהים audiunt, quia omnis terra Edom in XIV. myriades erat diuisa, tribus antea tetrarchiis constitutis. vid. B. ARIAS MONTANVS l. c. p. 588. Inferitur 5) index priscorum Idumaeae incolarum eorumque principum v. 20 - 30. 6) Agitur de regibus v. 31 - 39. qui populo aucto post principes orti sunt. Hi ipsi octo reges (tot enim

ad Mosi vsque regnarunt) iusta se inuicem serie exceperunt. 7) Alius Idumaeorum ducum index additur. qui post reges inclaruerunt v. 40 - 43. Quaeritur autem, quomodo Moses potuit dicere: *hi fuerunt reges qui regnarunt in terra Edom antequam regnauerit rex Israelitis?* Num praesciebat Israelitis aliquando reges suos futuros? Potuit sane praescire, quamquam non inspirando, sed promissioni diuinae Iacobo Gen. XXXV, 11 factae, fidem habendo. Quae opinio si minus placeret, quid inde? si cum PRIDEAUXIO in Connex. P. I. L. V. p. 433. seq. dicamus, alium virum Θεοπνευστον, Esram nimirum, non totum quidem locum de regibus Idumaeis, sed verba tantum ואלה המלכים אשר-אשר-אשר addidisse, Etenim Esra capite statim primo I Chron. (communis autem cum Hebraeorum tum Christianorum sententia receptum est, auctorem librorum Chronicorum esse Esram) seriem progeniei Esauiticae illiusque ducum ac regum reperit. Igitur facile fieri potuit, vt et suo et Mosaico indici verba laudata adderet. Inde vero diuina pentateuchi auctoritas nihil capit detrimenti, nec enim Esra spiritu diuino erat destitutus,

g) Deuter. II, 4. 5.

iuria iter se facturum. Rex vero id abnuens Israelitis armatus obuiam descendit, prohibiturus Mosen, si viam vi aperire conaretur. <sup>h)</sup> Haec facta sunt sub Hadade <sup>i)</sup> qui inter reges Idumaeorum, quorum Moses mentionem facit, vltimum habet locum. Quo autem mortuo reges abrogati et duces (אלרפי) in eorum locum videntur esse substituti, quorum series Gen. XXXVI. 40. seqq. et 1 Chron. I. 51-54. exhibetur. <sup>k)</sup>

## §. III.

*Continuatio.*

His ita monitis, tacente historia, vsque ad Saulis et Davidis tempora nihil est, quod referamus. Sine dubio intra hoc

<sup>h)</sup> Num. XX, 14-21. IOSEPH. A. I. L. IV. C. IV.

<sup>i)</sup> Hadade dico non Hadare, tamen si Gen. XXXVI, 39. in plurimis editionibus דרר legatur. Sed 1 Chron, I, 50. genuina mihi videtur esse lectio. Etenim in antiquis codd. MS. ד et ר vix possunt a se inuicem distingui, tam sibi similes sunt. Hinc illas litteras scriba facile potuit inter se commutare. Deinde obseruandum est דרר tritum ac solitum nomen fuisse regum Idumaeorum. cf. Gen. XXXVI, 25. 1 Reg XI, 14. Adde LXX. l. c. Genes. vertisse Ἀράδ, non Ἀδάδ, quamquam et hoc vitiosum; legerunt enim post α primo loco positum ר pro ד. Verum 1 Chron. I, 50. Ἀδάδ recte reddiderunt. Denique monendum est, hanc variam lectionem non in omnibus reperiri editionibus codicis sacri. Hinc in bibliis BOMBERGI et in editione IOH. HENR. MAII a IOH. LEYSDENO reuisa, vtroque

loco דרר legitur. Codices Samaritanorum quoque variant. Codex HVBIGANTII legit Gen. XXXVI. דרר et KENNICOTVS notat vnum cod. Samarit. legere דרר, quinque vero דרר.

<sup>k)</sup> Sunt, qui putent, quos inter ARIAS MONTANVS l. c. duces illos, quorum Moses mentionem facit, tanquam principes familiarum regibus fuisse obnoxios, quod mihi non sic videtur. Nam ex 1 Chron. I, 51. clarum est, hos XI. duces post reges imperium habuisse. Scriptor enim diuinus dicit: Hadade autem mortuo, duces Idumaeae facti sunt, dux Thimna, dux Aliah etc. Hi vero duces posteriore perinde ac priores, eodem tempore, nimirum post mortem Hadadis, quae, cum Moses adhuc inter vivos esset, vt mihi quidem videtur euenit suis singuli familiis atque vrbibus praefuerunt. Ita etiam hac in re b. noster Lutherus sentit l. c.

hoc tempus Edomitae rei mercatoriae et nauticae operam derunt dominiumque extenderunt. Tenuere autem omnem terram inter sinum Arabicum et lacum Asphaltitem sitam, quae postea a Graecis *Arabia Petraea* est vocata. <sup>l)</sup> Saul regum Israeliticorum primus, bellum gessit cum Edomitis, quos vero suo ipsius imperio non subiecit. <sup>m)</sup> David autem, Saulem excipiens, novum in terram eorum bellum intulit, et duodeviginti millia virorum in valle salis interfecit, terram subegit, praesidia in vrbes posuit, et non ex agris tantum sed virutum etiam tributa exegit. <sup>n)</sup> Ioab post hanc stragem in Idumaciam

B 2

1) Vid. PRIDEAUX in *Conex. P. I. L. I.* p. 14. 15. FULLERVS in *Miscell. S. L. IV. C. XX.* p. 620. et R. LANDVS in *Palaeft. Illustr. T. I. L. I. C. XII.* p. 66. qui de terminis veteris Idumaeae ita scribit: *Idumaea, sine vii in Codice S. dicitur ארם ארם et ארץ נערי inter Aegyptum fuit sita et terram Chanaan, ita, ut fines australes terrae, in quibus erat portio tribus Iudae attingerint terminum regionis Edom. Iof. XV, I. 21. coll. C. XI. 17. XII, 7. Num. XXXIV, 3.* Secundum geographos antiquos, maxime Ptolemaeum, vetus regnum Edomiticum septentrionem versus confine erat Palaestinae, ad Orientem Moabitas et Nabathaeos vicinos habuit; a meridie vergit ad Midian et mare rubrum, et ab occidente desertum attingit Arabicum. Cf. SPANHEMII *Geograph. S. P. I. Sect. II.* p. 87. et CELLARII *Geograph. orb. antiqu. T. II. L. III.* p. 415. edit. Amstel.

<sup>m)</sup> 1 Reg. XIV. 47.

<sup>n)</sup> 2 Sam. VIII, 13. seq. coll.

1 Chron. VIII. 12. Loco priori David Syros, ארם, posteriori Edomitas, ארם, vicisse dicitur. Verum hic rursus est permutatio ארם et אר. Lectio ארם certe falsa est, ex 1 Chron. VIII. corrigenda, id quod ipsa narrationis series arguit. Statim enim v. 14. C. VIII. II. lib. Sam. refertur, post hanc stragem Idumaeae praesidia imposuisse Davidem, eamque suae ditioni subiecisse. Igitur non Syros sed Idumacos vicit ac subegit. Deinde nec in omnes id vitium scriptiois codices itrepsisse videtur. LXX. Syrus ipse Arabs vtroque loco saniore lectionem expresserunt, *Idumacos* in valle salis victos esse. Igitur in codice ex quo vertent ארם legerunt. Illustris MACHAELIS in *Commentar. in Soc. Reg. Scient. Goeting.* ab annis 1763. seqq. praelectis *Commentar. XIII.* §. 13. p. 86. lectionem ארם probat, et textum Samuelis libri citati tam manifesto, ait, vitio laborare, vt defendi, nisi inuerecunde, nequeat. At enim vero alia oritur difficultas si duos

maem proficiscens, Israelitas occisos sepulturus, omnes Edomitas armatos, vbicunque inueniret, per sex menses interfecit. °) Ita terra Edom expugnata est et vastata, antiquis incolis vltro citroque disiectis.

Eodem tempore Hadad, princeps Idumaeus, e regia stirpe oriundus, cum quibusdam profugis in Aegyptum ad Pharaonem regem se contulit, qui Idumaeum tanto profecutus est fauore atque amore, vt ei reginae Tachpanes fororem nuptum daret. Dauide autem mortuo et Salomone imperante, Hadad ex Aegypto redux, terram Edom occupare frustra contendit. p) Nam regnum Edomiticum vsque ad Iosaphati tempora potestati regum Iudaicorum, praesides illi praeficientium, fuit subiectum. q) Ita id, quod Deus. priusquam Esauus et Iacobus nascerentur, praedixerat, Gen. XXV. 23. coll. C. XXVII. 43. fuit implerum: וררר יעבר צעיר *et maior seruet minori*, scilicet hoc intelligendum est de posteris Esau, quippe qui posteris Iacobi, h. e. regibus Iudaicis per CL. annorum spatium fuerunt subiecti. At Iosaphato regi, Edomitae cum Moabitis et Ammonitis, sociis, bellum fecerunt, quod vero

duos locos I Chron. XVIII. et Pf. LX. 2. sibi inuicem conferamus. Illo enim *duodeuiginti*, hoc vero *duodecim* mille homines occisi dicuntur; illo victoria *Abisai*, hoc *Ioabo* tribuitur. Sunt, qui hanc numeri diuersitatem ac nominum quoque ab errore scribarum ortam fuisse, censent. Illustris MICHAELIS I. c. p. 88. de vario caesorum numero non valde sollicitus est. Quod autem titulus psalmi LX. *Ioabo* et locus Paralipom. *Abisai* victoriam tribuat, vitiosam forte esse alteru-

tram lectionem, et illum, qui titulum Psalmo praefixerit, in ducis nomine errasse, arbitratur. Sed in locis dictis duae a se inuicem diuersae acies describi mihi videntur. Suspicio igitur in Pf. LX. respici ad internecionem, quam Ioabus post victoriam I Chron. XVIII. narratam, inter Edomitas edidit. Cf. I Reg. XI, 15. 16.

o) I Reg. XI, 15. 16.

p) I Reg. XI, 17. 22.

q) I Reg. XXII, 48. Me non fugit 2 Reg. III, 9. mentionem fieri regis Idumaeae, qui cum Iosaphato contra

vero non ex sententia gestum est. Edomitae enim ab ipsis sociis funditus ad internecionem sunt deleti. <sup>r</sup>) Verum enim vero sub Ioramo, Iosaphati filio, meliori dimicantur fortuna. Etenim ad vnum omnes seditionem excitantes, praesidemque regium aut expellentes aut necantes sibi ipsi regem elegere, <sup>s</sup>) et quamquam a Ioramo profligati sint, a nullo tamen eius successorum sub potestatem regni Dauidici redigi potuerunt. <sup>v</sup>) Ab hoc tempore per sexaginta annos tranquilla pace fructi, res suas refecerunt pristinumque dominium ac felicitatem recuperarunt. Hac ratione impletum est id, quod Isaacs Gen. XXVII. 40. praedixerat: וְהָיָה כְּאִשֵּׁר תִּירֵר, וּפְרוּקָה עָלָיו צוֹאֲרָךְ מֵעַל וְיִשְׂרָאֵל וְיִשְׂרָאֵל וְיִשְׂרָאֵל *et quando dominari incipies, franges iugum eius, (nempe fratris, i. e. regum Dauidicorum) a collo tuo.* Amazias, Iudaeorum rex Edomitas sibi subiicere tentans bellumque renouans, conflixit cum iis, decemque millia virorum occidit, et totidem captiuos duxit, qui vrbe primaria Selah s. Petra expugnata, in verticem petrae positi, ab eoque deiecti, omnes miserrime interierunt. <sup>v</sup>) Amazia autem mortuo Vffias statim sub imperii sui initio Elath, urbem Idumaeorum maritimam, ob portum et mercaturam valde celebrem, cepit ac muniuit et commercium nauticum restaurauit. <sup>x</sup>) Indeque

B 3

ab

Moabitas conflixit. Verum ille rex Edom non propria potestate regia imperauit, sed fuit praefectus s. vicarius regis Iudaici. Igitur non tam sua sponte, quam ad aduentum regis Iosaphati, domini, ex obligatione feudali comes bellator iuit. Hoc egregie probatur ex loco citato 1 Reg. XX, 48. vbi verba ita se habent: וַיִּשְׁלַח אִיזָבֶל מֶלֶךְ יִשְׂרָאֵל וְיִשְׂרָאֵל וְיִשְׂרָאֵל *et non erat rex in Edom (qui propria potestate regia imperaret) confiru-*

*zus (a rege Iudaico) erat rex. Vid. PRIDEAUX in Connex. P. I. L. L. p. 10.*

r) 2 Chron. XX, 1-25.  
s) 2 Reg. VIII, 20-22. coll. 2 Chron. XXI, 8-10.  
t) 2 Chron. XXI, 8. seqq.  
v) 2 Reg. XV, 7. 2 Chron. XXV, 11. seqq.  
x) 2 Reg. XIV, 22. 2 Chron. XXVI, 2.

ab hoc tempore illam urbem nunquam recuperarunt Edomitae. Etenim Pekacho Israelis rege Rezinem, regem Syrorum, sibi contra Achasum, Vstiae nepotem, adiungente, eumque vincente, Elath in Syrorum venit potestatem. <sup>y)</sup> Sed non ita multo post, Rezine a Tiglath-Philasare, Assyriorum rege, victo atque interfecto, <sup>z)</sup> victor urbem sibi subiecit ac tenuit. <sup>a)</sup>

Eodem vero tempore Edomitae vlti sunt internecionem, quam sub Amazia erant perpeffi. Cum enim Rezin Syriae et Pekachus Ephraimi, reges, consilium coepissent de excindendo regno Achasi, impii regis et quasi probri illius seculi, et partienda inter se terra Iudaica, cf. Ies. VII, 6. et profligatus esset Achasi exercitus, iunxerant se Edomitae hostibus Iudaeorum eandemque ipsi captarunt occasione Iudaeae a meridionali parte inuadendae, spoliandae, urbium eius occupandarum incolarumque profligatorum abducendorum. <sup>b)</sup> Tandem vero ipsi potestati Nebucadnezaris, totius orientis victoris, sunt subiecti. Verum hic historiae Edomiticae seriem interrumpamus, partemque eius reliquam tractemus, quando de euentu vaticinii nobis erit dicendum.

## §. IV.

y) 2. Reg. XVI, 6. JOSEPH. A. I. l. IX. C. XII.

z) 2 Reg. XVI, 9.

a) Vid. FULLERI Miscell. S. L. IV. C. XX. p. 622 - 629. et PRIDEAUX l. c. p. 7 - 12. vbi est tractatio de duobus Idumaeorum portubus *Elath* et *Ezeongeber*, ad mare rubrum occidentem versus sitis, quorum vterque a Dauidis, maxime vero Salomonis temporibus, propter nau-

gationem et mercaturam Africanam, Arabicam et Ophirinam s. Indicam, admodum floruit, vsque dum Ptolemaei Aegyptiorum reges, opibus ac potentia florentes, Indicam et Arabicam negotiationem Alexandriam pertrahere, summo conatu studuerunt, id quod maxima etiam ex parte effectum est.

b) 2 Chron. XXVIII, 17. Vid. PRIDEAUX l. c. 5. 6.



## §. IV.

*Explicatio vaticinii.*

Igitur ad ipsa oraculi nostri verba explicanda nunc progrediamur. Posteaquam Ieremias, diuino spiritu afflatus Capp. XLVI. XLVII. et XLVIII. variis gentibus, quae inde a vetustis temporibus implacabile odium in Deum verum eiusque populum, terram ac cultum susceperant, nimirum Aegyptiis, Philistaeis, Moabitis, et ab initio Cap. XLIX. Ammonitis quoque, plurimos terrores et tristissima fata denunciauerat, iam in altera huius capituli parte ad Edomitas transit, et totam eorum perniciem praedicit, a v. 7. vsque ad v. 22. Verum enim vero, cum totius vaticinii explicationem his plagulis absoluere nec velim nec possim, tantum de verbis disputabo: **וְהָיְתָה אֶדְוִם לְשִׁמְרָה**, *hac igitur ratione Edom penitus vastabitur.* Alexandrini interpretes hunc locum ita reddunt: *Καὶ ἔσται ἡ Ἰδουμαία εἰς ἄβυσσον.* Vulgatus: *et erit Idumaea deserta.* De sensu verborum oraculi nostri grammatico non est, quod multa dicamus. Verba enim sunt notissima nec difficilia intellectu. Igitur pauca tantum moneamus.  $\gamma$  omnes, uti constat, particulas exprimit, et hoc quidem in loco non vim coniungendi habere, sed euentum declarare mihi videtur, ut Ier. VII. 34. et Es. XIX. 22. Etenim in praecedentibus vates diuinus vastationem Idumaeae fusius tractauerat. Iam vero id, quod descriperat, repetit atque in compendium mittit nostro versu: *Hac igitur ratione Edom penitus vastabitur.*

Vox **אֶדְוִם** est nomen proprium regionis haud procul a littore sinus Arabici sitae, cui Esauus, *Edom* appellatus, nomen dedit. Deriuatur a radice **אֶדְוִם** *rubuit*, inde nomen **אֶדְוִם** *ruber*. Scilicet Esauus **אֶדְוִם** vocatur, quia, cum primum in lucem ederetur, **אֶדְוִם כָּלִי**, *totus rufus* erat

erat, h. e. frequenti pilo eoque rubro ex vtero prodibat, et *eibam rufum amabat.* <sup>c)</sup> Gen. XXV. 25. 30. Indequè omnis eius posteritas nomen *Edomaei* s. *rubri* accepit. Interpreti Samaritano terra Edom *Gabal*, Ionathani in Targumo *Gobal* et Iosepho *Gobolitis* <sup>d)</sup> audit, quae denominationes omnes a voce hebraica גבול *terminum* sonante, originem habent. Idumaea enim confinis erat Palaestinae ad meridiem. Alexandrini אדום modo Ἰδομαίαν, <sup>e)</sup> veluti nostro loco, reddunt, modo vocem retinent Ἰδωμ. vertentes. Gen. XXXVI. 31. 32. 1 Chron. I, 51. Syriace אדום vertitur *Edoum*, Marc. III. 8. Arabice *Adouma* Pl. LX. 10. Sequitur vox שמר quam verbo הירר coniunctam verto: *penitus vastabitur.* Nomen שממר h. l. *vastitatem stuporem excitantem*, h. e. *summam vastitatem* exprimit. <sup>f)</sup> Nam radix שמם quando de persona dicitur, habet significationem *admirandi, obstupescendi*, Iob. XVII. 8. Ies. LII. 14. Ier. II, 12. quando vero de re usurpatur, est *deuastari, desolari*, intelligendum autem est de deuastatione stuporem incutiente, ita vt locum aliquem ad vastam solitudinem redactam videntes obstupescant et horrorem suum testentur. cf. Ezech. XXXIII. 28. C. XXXV. 7. 12. Haec vocis שממר interpretatio per sequentia stabilitur, quando propheta dicit: כָּל עֵבֶר עָלֶיהָ יִשָּׁם וְיִשְׁרִיק: על- כל-מכותיה *omnis, qui iter facit per eam* (Idumaeam) *obstupescet et ridebit omnes eius plagas.* Alexandrini sensum bene

c) Vid. IOSEPH. A. I. L. II. C. I. EVLLERI Miscell. S. IV. C. XX, p. 617. DEILINGII Obs. S. P. III. Obs. V. p. 48. SIMONIS Onomasticon. V. T. Sect. II. C. V. p. 94.

d) Vid. IOSEPH. A. I. II. C. I. ubi Idumaeam in *Gabolisim* et *Amalecin* diuidit.

e) Verior scriptura, vt a Stephano sub voce Ἰδομαίαν annotatur, est Ἰδομαία.

f) Ita quoque S. V. BURSCHERVS hanc vocem interpretatur in libro: Versuch einer kurzen Erläuterung des Propheten Ieremiae. p. 615.

bene exprimunt, **רְמוֹת** reddentes: *εἰς ἄβατον* (Idumaea erit) *inuis, inaccessa, adiri non solita.* <sup>g)</sup>

## §. V.

## Continuatio.

Grammatico vaticinii nostri sensu explanato, nihil impedit, quo minus rem ipsam, quam propheta vaticinatus est, paulo accuratius inspiciamus. Ieremias profecto talem desolationem terrae Edom a v. 7 - 22. Cap. XLIX. minatur, quae lectori bene attendenti plane incutiat stuporem. Minatur Dedanenses terga versuros hostibus, subterraneisque locis se occultaturos, v. 8. minatur, Esauitas omnibus opibus ac diuitiis<sup>h)</sup> priuatum progeniemque eorum interemtum iri, adeo ut nullus eorum superfit; v. 10. minatur, futurum esse ut metropolis Bozra, omnesque ceterae Idumaeorum vrbes in perpetuum destruantur; v. 13. minatur denique tantam terrae Edomiticae vastationem, ut Sodomae et Gomorrhae instar a nemine mortalium sit incolenda. v. 18. <sup>i)</sup> En! horribilia facta admiratione ac stupore omnino digna! Sed quaenam erant causae tantorum malorum? Propheta illas indicat v. 16. Cap. XLIX. his verbis: *terribilitas<sup>k)</sup> tua et auimi tui fastus decipit*

g) Vox *ἀβατος* est ex *α* priuatiuo et nomine *βατος*; peruius, accessu facilis, composita. Suidae et Phaouirino significat *ἐρημος*. Hinc *ἀβατος* desertum reddo. Itaque *ἡ γῆ ἄβατος* est terra inuis s. deserta.

h) v. 10. in fontibus est vox *מַטְרֵי*, per quam h. l. intelliguntur *opes ac diuitiae*. Edomitae enim erant opulentissima gens, quia terra marique operam dabant mercaturae. cf. Obad. v. 6.

i) Ezech. XXV, 13. et Cap. XXXV Ief. XXXIV. Amos. I, 11. 12. Obad. v. 1 - 16. vbi eadem tristissima facta Idumaeis minantur.

k) Nomen *מַטְרֵי* v. 16. a *מַטְרֵי* *horruit, terruit*, quod h. l. tantum occurrit, interpretum multi metonymice reddunt *simulacrum, idolum*, veluti nomen *מַטְרֵי*, 1 Reg. XV, 13. Sed mallet cum S. V. DATHIO in Prophet. Mai. p. 391. *terrorem* s. *terribilitatem* interpretari. *Montes caui*

C

*pit te, te (inquam) quae inhabitas petras, quae tibi asyllum<sup>1)</sup> praebent et colles praealtos tenes. Etiam si vero tam alte quam aquila nidificares, tamen inde te deiiciam, inquit Ieboua.* Ex quibus luculenter apparet, Idumaeos verum Deum odio habuisse et tanta elatos fuisse superbia ut putarint, se vrbes ipsa natura munitas incolentes, vinci posse a nemine. Eodem modo Ezechiel Cap. XXXV. 13. et Obadia v. 3. in fastum Edomitaram inuehuntur. Quid? quod hi ipsi prophetae eorum odium, inimicitiam ac crudelitatem aduersus populum Dei, tanquam causas referunt grauissimorum malorum, quae iis nunciantur. Ezech. XXXV. 6. Obad. v. 11. et 14. Amos. I. 11. Igitur etiam Ieremias, Deo iubente, piis Iudaeis nunciat, Deum superbiam ceteraque Idumaeorum peccata grauiter esse vlturum, terram eorum funditus deperditurum, ipsosque, uti ceteras gentes, sibi populoque suo infensas, sensim excisurum. Atque hoc fit, partim ut Deus ostenderet, Iehouam verum esse Deum, cf. Ezech. XXXV, 15. omniumque gentium ac terrarum Dominum, qui cuiusque fata gubernat; partim ut pii inter Iudaeos consolatione erigerentur et commonerentur, se, singularem Dei populum, non solum nunquam penitus interituros, verum suo etiam tempore ex exilio redituros.

## §. VI.

*De euentu vaticinii.*

His igitur dictis, nunc in eo sumus, ut de euentu vaticinii nostri disputemus. Primum notandum est, id quod va-  
tes

enim Edomitici terribiles erant aspectu, ad quos hostem penetrare non posse Edomitae sibi persuadebant.

1) חגית סלע v. 16, vulgo *fissurae petrarum*. Sed חגית, quae vox praeter hunc locum bis tantum occurrit, nimirum Cantic, II, 14. et Obad.

tes diuinus de Idumaea vastanda nunciauerat, non vno temporis momento, sed *successiue* potius, per gradus et partes impletum fuisse, donec tandem tota terra penitus vastata et ab omni incola deserta fuerit. Is enim mos est prophetarum, vt in futuris praedicendis, ea interdum, quae *successiue* impleri debeant, in *uniuersum* sistant, singularum partium, aut successiuae consecutionis, aut temporis distinctionis, nulla habita ratione, quod sit fidei exercendae causa, cui non opus est temporum spatia et euentorum seriem praescire, nisi id peculiaris forsân ratio suadeat. <sup>m)</sup> cf. Ioel. III, 1-4. Ies. XXXIV, 1. seqq. Ad hanc regulam nostrum quoque vaticinium est explicandum. Nimirum, propheta rem, quam praedicit, summatim complectitur, tempora non definiens, quibus sit euentura. Nos autem debemus in historia scrutari et operam dare, vt ex illa discamus, quibus temporibus vaticinium illud fuerit impletum. Agedum, expediamus suscepta.

## §. VII.

*Successiua deuastatio Idumaeae*a) *per Chaldaeos.*

Idumaeis quid post Achasi tempora euenerit, tacente historia, nescimus. Sed Chaldaeis Palaestinae totique orienti bellum minantibus, Edomitae cum Iudaeis ceterisque gentibus vicinis, foedus, vt hosti communi coniunctim resisterent, videntur pepigisse. <sup>n)</sup> Nebucadnezare autem Hierosolyman obfi-

C 2

Obad. v. 3. non esse fissuras sed *asylum, refugium*, a verbo Arab. *ان* confugere, docuit SCHVLTENSIVS in Animaduers. philolog. ad Ef. XIX, 7. et Obad. v. 3. Interpretationem SCHVLTENSII etiam probant V. V.

S. S. V. V. DATHIVS I. c. et DOEDERLEIN ad Ef. C. XIX, 17. p. 86.

<sup>m)</sup> Vid. CRVSI Theologia Prophet. P. I. C. IV, §. 164. p. 621.

<sup>n)</sup> Ierem. XXVII, 3.

obsidente atque expugnante, Edomitae rebus victoris studuerunt, eumque opibus et armis adiuuerunt. Quinimo ex Iudaeorum pernicie haud mediocrem capientes voluptatem <sup>o)</sup> et cladis, quam proavi tempore Dauidis erant perpeffi adhuc memores, Iudaeos qui sibi fuga salutem quaesierunt, non solum hostibus prodidere atque interfecere, verum templum etiam Hierosolymitanum et terram Iudaicam depopulati sunt, <sup>p)</sup> et incolas residuos occiderunt. Quid? quod tantum tumidi erant fastu, vt vtramque terram vtriusque gentis, terram scilicet decem tribuum et tribus Iudae, se occupaturos iactarent. <sup>q)</sup> Has iniurias, quas Idumaei intulerant Iudaeis, Deus mox grauissime vltus est per Nebucadnezarem Babylo-  
niae regem. Is enim est secundum vaticinium Ieremiae Cap. XLIX, 19. *leo* <sup>r)</sup> i. e. ferox et fortissimus bellator, per quem Idumaea erat desolanda. Rex igitur Babyloniae Tyrum obsidens, vni exercitus pari praeficit Nebusaradanem eique dat negotium, vt omnes gentes Palaestinae vicinas, nimirum, Ammonitas, Moabitas, Philistaeos, Edomitas et Arabes bello  
perfe-

o) Ezech. XXXV, 5. 15. C. XXXVI, 5. Obad. v. II.

p) Ps. CXXXVII, 7. 3. Efr. IV, 45. Ex loco Psalms citati clarum est, Idumaeos cum Chaldaeis Hierosolymam depopulantibus conspirasse, eosque acrisse semper incitasse, ne vel vlllo modo admitterent commiserationem, sed ad fundum vsque omnia subuerterent.

q) Ezech. XXXV, 10.

r) Per leonem e ripis Iordani ascendentem *Lyranus*, *Dionysius*, *Luscherus* et *Ostander* Alexandrum M. intelligunt. Sed nusquam legimus, Macedonem Idumaeam vastasse. Rectius Nebucadnezar intelligitur s. Ne-

bucadnezar, vt Grotius censet, quem rex Babyloniae miserat ad Idumaeam vastandam. Dicitur autem victor Edomitarum *leo e ripis Iordani ascendens*, propter ferociam et terribilitatem. Littora enim Iordani palustria erant et siluosa, hinc refugium ac latibulum leonum, qui Iudaeis magnum interdum iniiciebant terrorem. Inde imago prophetis vsurpata, qua hostem ferocem ac terribilem cum leone, e ripis Iordani ascendente, comparant, cf. Ier. L, 44. Zach. XI, 4. Ceterum per גִּבְרֵי הַיַּרְדֵּן non *Iordanum tumorem* sed rectius *ripas* huius fluminis intelligendas esse S. V. DATHIVS docet l, c p, 267.

persequatur. \*) Hoc bello tota terra Edom deuastata, vna incolarum pars occisa, altera vero terra eiecta est, veluti erat praedictum a Prophetis, †) Post hanc interneccionem patria eiectorum multi in terram Iudaicam, Iudaeis in Babylonia adhuc exultantibus, se receperunt, ibique regiones australes, quae Simeonis et Iudae tribus fors fuerant, occuparunt. ‡) Ceteri autem incolae in terra Edom remanentes cum filiis Nebaioth s. posteris Ismaelis, Arabiam incolentibus, se coniunxerunt, qui postea *Nabataei* sunt vocati. §) Ab hoc tempore veteris regni Edomitici nomen traditum est obliuioni et illa pars terrae Iudaicae, quam Edomitae profugi occupauerant, *Idumaea* est appellata. ¶) Huius Idumaeae recentioris \*\*) Plinius, Ptolemaeus, Strabo aliique veteres scriptores mentionem faciunt. Antiqua autem terra Edom pristinam suam gloriam ac felicitatem nunquam recuperare potuit, sed sensim sensimque decrevit, adeo vt ad hunc vsque diem fere tota deserta sit et inculta vt plurimum, veluti erat praedictum: **וְהָיָה אֶרֶץ אֱדוֹם לְשֵׁמָה.** †)

## §. VIII.

b) *Per Maccabaeos.*

Historia antiqua Idumaeae ad regni finem vsque perducta, iam de *Idumaeis recentioribus* nobis est dicendum; neque enim

C 3

s) Vid. PRIDEAUX Connex. P. I. L. II. p. 113.

†) Ezech. XXXV. 3. Obad v. 9. et 7. vbi propheta clare dicit: *ad fines terrae tuae se mittent s. terra tua se eiiciunt foederati tui*, h. e. Chaldaei, a quorum partibus stabant Edomitae quum Iudaea per Chaldaeos vastaretur.

¶) Vid. STRABO *Rer. Geogr.* L. XVI. edit. Amfeld. p. 1103. et PRIDEAUX Connex. P. I. L. I. p. 16. et P. II. L. III. p. 246.

\*) Idem in Connex. P. I. L. I. p. 16.

y) Idem loco citato.

z) *Idumaea superior* dici solebat et ad Hebronem vsque extendebatur, quae tunc Idumaeorum vrbs erat primaria. Vid. PRIDEAUX Connex. P. II. L. III. p. 246. JOSEPHVS in B. I. L. V. C. VIII. inter **τῶν ἄνω Ἰδουμαίων**, quae in montibus Iudaicis erat sita, distinguit, et inter **τῶν κατώτερων Ἰδουμαίων** h. e. Arabiam. C. VII. l. c.

a) cf. Ezech. XXXV. Obad. v. 1. seqq. et Malach. I. 3. 4.

enim minus in iis vaticinium nostrum est impletum, id quod historia nos docebit.

Idumaei, cuiusdam partis terrae Iudaicae coloni, Iudaeis ex exilio reducibus multas intulerunt iniurias sub imperio cum Persico, tum Graeco. Darius Hytaspes, Persarum rex, Idumaeis quidem palam edixit, vt Iudaeis suas restituerent possessiones. Ita enim relatum legimus III. Libro ESRAE C. IV<sup>o</sup> v. 49. 50: Καὶ ἔγραψε (Δαρείος ὁ βασιλεὺς) πᾶσι, τοῖς Ἰουδαίοις, τοῖς ἀναβαίνουσιν ἀπὸ τῆς βασιλείας εἰς τὴν Ἰερουσαλήμ, ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας - - - ἵνα οἱ Ἰουδαῖοι ἀφίωσι τὸς κόμας, ὅς διακρατοῦσι τῶν Ἰουδαίων. Sed hoc edictum regium parum videtur profuisse, quandoquidem ex historia apparet, Idumaeos possessiones occupatas obtinuisse. Ceterum, quid sub Darii successoribus, et monarchia Persica euerfa, sub Alexandro M. ducibusque hunc excipientibus, euenerit Idumaeis non satis luculenter nobis constat. Quoniam inter Iudaeos, erga quos Alexander Macedo clementem se gerebat, degabant, cum iisdem eadem forsitan frui sunt fortuna. Monarchia autem Graeca in quatuor regna diuisa, Idumaei procul dubio Aegyptiis, veluti Iudaei, fuerunt subiecti. Verum enim vero Iudaea sub regum Syriacorum potestatem redacta, Idumaei odium aduersus Iudaeos inueteratum recoxerunt, τὸ Georgia duce, regis Syriae praefecto, bellum contra eos gesserunt,<sup>b)</sup> sed aduersa fortuna. Etenim Iudas Maccabaeus, fortissimus heros, in omnibus proeliis Idumaeos profligauit, urbem eorum primariam, *Hebron*, expugnauit ac desolauit. <sup>c)</sup> Idem cetera Idumaeorum loca munita vi expugnans, magnam inter eos edidit stragem. Viginti enim millia vno proelio et  
 mox

<sup>b)</sup> 2 Macc. X. 15.

<sup>c)</sup> I Macc. V. 3. 65. JOSEPH. A. I. L. XII C. XI. XII.



mox totidem interfecit. <sup>d)</sup> Ita impletum est, quod Deus praedixerat per Ezechielem C. XXV. 14. *se ultionem sumturnum de Idumaeis per populum suum Israeliticum.*

Res Idumaeorum quomodo post has turbulentissimas tempestates se habuerint, non satis constat. Sine dubio terra eorum sub ceterorum Maccabaeorum imperio tumultibus ac bellis continuus est perturbata. At enim vero Antiocho VII. Sidete s. Evergeta cognominato, Syriae rege, ab Arsace Partho occiso, Iohannes Hircanus, bellicosus princeps, non solum aliquas Syriae ciuitates suae subiecit potestati, et Samaritas vicit ac subegit, sed Idumaeae etiam vrbes *Adoram* et *Marrissam* cepit. Subiugatis autem omnibus Idumaeis, eis, nisi mallent e suis pelli sedibus, circumcissionem imperauit. At illi amore patriae ducti, admiserunt et circumcissionem et reliquam secundum Iudaicos ritus viuendi rationem. Atque ex eo tempore in societatem Iudaeorum recepti, non solum omnium, tam religionis quam politicae iurium, participes facti sunt, verum etiam cum Iudaeis in vnum populum coalescere coeperunt. <sup>e)</sup> Haec omnia discimus ex *Iosepho* <sup>f)</sup> cuius verba loco infra citato ita sese habent: Ἰουδαίους ἀπὸ τῆς Ἰδουμαίας αἰρεῖ πόλεις Ἀδωρα καὶ Μάρισσαν καὶ ἅπαντες τοὺς Ἰδουμαίους ὑποχειροὺς ποιησάμενος, ἐπέτρεψεν αὐτοῖς μένειν ἐν τῇ χώρᾳ, εἰ περιτέμνουν τε τὰ αἰδεῖα, καὶ τοῖς Ἰουδαίοις νόμοις χρῆσθαι θέλοιν· οἱ δὲ πόθω τῆς πατρίου γῆς καὶ τὴν περιτομὴν καὶ τὴν ἄλλην τοῦ βίου διαίταν ὑπέμειναν τὴν αὐτὴν Ἰουδαίοις ποιήσασθαι. Κακῆνος αὐτοῖς χρόνος ὑπῆρχεν, ὥστε εἶναι τὸ λοιπὸν Ἰουδαίους. Reges Iudaeae Hyrcanus sequentes, nimirum Aristobulus, Alexander Iannaeus et Alexandra regina, prae-

d) 2' Macc. X. 17—23. Vid. PRIDEAUX Connex. P. II. L. IV. p. 261.

e) Hoc factum est anno CXXIX. ante C. N. Vid. Prideaux, loco cit. et

intero fere seculo ante regnum Herodis M. Vid. IOSEPH. A. I. L. XIII. C. XVII.

f) Antiq. Iud. L. XIII, C. XVII.

praefectos constituerunt in Idumaea, inter quos IOSEPHVS <sup>g)</sup> *Antipam et Antipatrum*, auum et patrem Herodis M. qui genere erant *Idumaei*, religione autem *Iudaei*, nominat. Herodes autem, qui patrem secutus erat in praefectura, a senatu Romano rex Iudaeae, Idumaeae, Samariae et Galilaeae creatus est. <sup>h)</sup> Iesu Christo vero, nostro seruatore, inter homines versante, Idumaei quoque inter primos amplexi sunt religionem Christianam, id quod ex historia Euangelistarum manifesto apparet. Ita enim Marc. III, 8. memoratur: *Καὶ ἀπὸ Ἱεροσολύμων, καὶ ἀπὸ τῆς Ἰδουμαίας - πλῆθος πολὺ ἀκούσαντες, ὅσα ἐποίησε, ἤλθον πρὸς αὐτόν.* cf. Obad. v. 21. Tandem Idumaei a Romanis excisi sunt cum Iudaeis, adeo vt post tempora Iosephi et excidium urbis Hierosolymae, nomen *Edom* et *Idumaeae* fere deletum fuerit, <sup>i)</sup> regioque olim eo nomine nuncupata alia adsciuerit nomina: dicta enim est *Gebalene* et *solitudo australis*, respectu scilicet terrae Israeliticae, et *Arabia*, aut Palaestinae accensita. <sup>k)</sup> Vnde Aberbanelis aliorumque Rabbidorum ineptiae, quas in religionis Christianae infamiam sparserunt, quod Edom *Roma* et Idumaei *Christiani Romani* sint, vltro patefcunt. Sed mittamus has nugas Rabbinicas a Christianis iam dudum explosas.

Ex disputatis igitur liquido apparet, vaticinia prophetarum de Idumaea vastanda toto ambitu esse implera. Nimirum non antiquum tantum regnum Edomiticum penitus excisum est, sed Idumaei etiam recentiores ita immixti sunt aliis gentibus, vt, quinam sint inter illas, nemo norit.

g) Antiqu. Iud. L. XIV. C. II. Vid. DEYLINGII Obf. S. P. II. Obf. XXVI. p. 327. seqq.

h) IOSEPH. A. I. L. XIV. C. XXVI. STRABO Ref. Geogr. L. XVI. p. 1109.

i) In scriptis tamen Patrum imprimis eorum, qui commentaria in Sc.

S. scripserunt aut de rebus Iudaicis egerunt, v. c. Eusebii, Hieronymi, nomen Idumaeae aut terrae Edom aliquando legi, notat RELANDVS in Palaest. Illustr. T. I. L. II. Cap. XII. p. 70. seq.

k) Idem l. c.

Fd 5611

ULB Halle

3

002 715 18X




71+306

VD 77

NC







DE  
IDVMAEA EIVSQUE VASTATIONE

AD  
LOCVM IER. XLIX. V. 17.  
QVAEDAM DISSERIT

SIMVLQVE

V I R O  
EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO  
ATQVE  
DOCTISSIMO

CHRISTOPHORO GOTTLOB  
HENRICH

FRATRI OPTIMO

COLLATAM IPSI ORDINARIAM HISTORIARVM PROFESSIONEM  
IN CELEBERRIMA ACADEMIA IENENSI

GRATVLATVR

M. CHRISTIANVS GOTTFRIED HEINRICH  
ECCLESIAE TIEFENSEENSIS IN EPHORIA ILEBVRGENSI  
PASTOR.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA KLAVBARTHIA.